DE

UTILITATE

MORBORUM NATURAM

CADAVERIBUS SECTIS

EXPLORANDI.

AUCTORE JOANNE SMITH.

PROŒMIUM.

Qui fit, ut ars salutifera post tot millia annorum indigesta moles remaneat?

Quia naturae medici non observando contenti leges praescripserunt. Imaginatio sedem rationis usurpavit, et veris ficta praefecit; haec scholarum dogmata peste quidem magis exitiosa vel dubitare nefas erat.

Neque est culpa omnino medicorum: profanum vulgus praemiorum arbiter est, et a

[Edinburgh: C. Stewart. 1812.]



tali judice, an verecundus naturae observator, an impostor clamosus, palmam feret.

Cum res igitur ita sese habeant, medici ad artes faciliores decipiendi, quam sanandi ediscendas, multo utilius invenere.

Veruntamen annales medicinae viris ornati, qui et gloriae, et decori humano fuerunt generi.

Etenim quotusquisque medicorum symptomata narrando vel secundus Hippocrati est; et si talibus philosophis superstitio dira cadaverum sectiones non prohibuisset; haud dubitandum est, quin rationes symptomatum, legesque vitae animalis, optime scalpello docuissent.

Pudet me eorum hominum, qui inter medicos etiam nostris temporibus, rem anatomicam inutilem esse proponendo, superstitioni semper malae obtemperare velint; sed non meum est de arte anatomica disserere, et supervacaneum foret, quoniam ubique feliciter gentium culta.

Utilitas tamen ejus portionis salutiferae artis, nuper a medicis *Anatomiae Morbidae* appellatae, nec tanti habetur, nec tanto est studio persecuta, quare mihi pauca de hac re loqui dignum appareat.

De hac re scripsi circiter decem ante menses quam *opus Doctoris Monro Tertii, de Anatomia Morbida Gulae Intestinorumque* fuisset editum; in quo sane utilitas hujus artis passim et exemplis et argumentis optimis confirmatur, sed certe praelectiones ipsius me ad hanc rem studendam multum adjuvabant.

PRINCIPIA STUDII HUJUS.

Exploratio cadaverum duas scientiae partes utilissimas praebuit, quarum alterius est symptomata morborum, alterius leges vitae animalis explicare, illa pathologia, haec physiologia vocatur; quas in paginis sequentibus illustrare conabor.

Omnes morbos, qui animalia adoriuntur, in tres classes recte dividere possumus; Prima scilicet in iis, qui, ut febris intermittens, vires vitae omni partium vitio absente afficiunt; Secunda, in iis, ut phlogosi, scirrho, sive formae, sive fabricae, sive utriusque simul mutatae consistunt: Tertia, morborum congenitorum est, quae vitia et formae, et fabricae, et positus, et partium numeri comprehendit.

Primae classis pathologia ab scientia legum vitae animalis; secundae, et tertiae, et ab hac, et ab scientia structurae corporis pendet.

De omnibus fere morbis secundae et tertiae classis, antequam scalpello explicati fuissent, nihil scivimus; et *Anatomia Morbida* scientiam legum vitae amplificando, pathologiae classis primae multum profuit.

In tractando de *Anatomia Morbida*, fortasse optime conveniat, quaerere primo de mutationibus scalpello patefactis horum organorum, quae fere communia sunt omnibus

partibus corporis, ut vasorum sanguiferorum; secundo de horum viscerum mutationibus, quae similitudine structurae, aut muneris, similibus morbis obnoxia sint; tertio de mutationibus singulis, vitiisque congenitis, singulorum viscerum; et denique ab initio ad finem usque, qui sint effectus harum mutationum, quas haec ars optime demonstraverit, et in muneribus visceris mutati, et in partibus tam vicinis quam remotis, et in concordia illa, quam obtineant inter se omnes corporis partes.

Morbos organicos varios, animo volventi, quaedam ordinationis perpetuae methodus, simplex et naturalis, et ad memoriam juvandam maxime apta, occurrit.

Morbi omnes organici in quibusdam mutationibus sive vasorum, sive secretorum vel virium *assimilationis* pendere apparent.

Malae conditiones vasorum, quaeque signis suis distinctae, sunt quinque, quae scalpello patefactae sunt; quarum in singulis pendet magnus ordo morborum.

Primus in vasis distensis magno cum dolore; Secundus in vasis quoque distensis, sed dolore fere absente; Tertius orificiorum eorundem *atoniâ;* Quartus in substantia tunicarum illorum sive aucta, sive minuta; Quintus in tunicis in materiam insolitam conversis constat. Prima conditio inflammatio activa, secunda vulgo appellatur passiva, tertia laxationem omnem complectitur, reliquis adhuc nulla nomina idonea indita sunt; trium priorum pars maxima morborum est; quorum pathologiam et curationem evidentem habemus, ordinis scilicet primi, phrenitis; secundi, apoplexia; tertii, hydrocephalus exemplum est.

Sectio cadaverum, in singulis his morbis modos quoque curandi tres generales indicat.

In morbis ordinis primi stimuli sanguinis et caloris minuuntur, secundi vasa sanguifera levantur, et eorum vis contrahendi augetur, tertii vasa extrema roborantur.

Quamvis ex vasorum singulis conditionibus morbus interdum fiat, plerumque ex duabus aut pluribus pendet, et una harum vix unquam diu adest, nisi alia aut plures superveniant; conditio alia aliam trahit, saepe quoque alia in aliam mutatur; et affectiones caeterorum ordinum serie quadam affectionem primi ordinis sequantur, itaque quamvis ad morbum concitandum plures contribuant, ex una conditione vasorum ut primaria pendeat.

A magno dolore in morbis ordinis primi quidam opinantur sensilitatem auctam esse, et physiologi nonnulli magni nominis observantes quasdam partes, ut tendines, ossa, solummodo dum hac inflammatione affectae sint, sentire, inde sensilitatem ipsam a vasis rubris pendere putaverunt.

Haec conclusio haud mihi legitima apparet, nam oculo externo nulla vasa rubra adsunt, tamen quae pars sensibilior?

Nimium sanguinis pressis partibus dolorem fert, interea tamen sensilitas gradatim

imminuitur, donec omnino perdita sit; sensatio aucta quidem non sensilitatem auctam, sed irritationis causam insolitam adesse indicat.

Inde quibusdam casibus hydrothoracis et hydrocephali interni, aut hydropis cavitatis ullius non facilis distensu, gravissimi dolores adsunt, qui donec sensilitas prorsus pessundata fuerit, perstant.

Georgium Ronald (quem Dre Monro Tertio favente vidi) anaesthaesia affectum, cui sensilitas totius lateris dextri aberat, aliquis experimenti causâ induxit manum igni, donec cutis perusta fuisset, imponere.

Manus solitis granulationibus refecta, et vasa nunc ruberrima sensilitate omni carebant.

His perspectis, annon licet nobis dubitare, an vasa sanguifera unquam ad sensilitatem meram augendam necessaria sint? inde conclusio altera oriatur, hos nempe nervos per quos ad cerebrum impressiones transeant, non ejusdem generis esse ac illos, qui a ce-

rebro ad musculos et alias partes, aut movendi aut nutriendi causâ, vim nervosam deferant.

Nunc *quaedam de ordine quarto et quinto* dicere haud alienum videtur.

Munera vasorum sunt duo, fluida corporis nempe ferendi, eorumque naturam proprietatesque mutandi. Munus alterum simplex et facile intellectu est, quantum a principiis mechanicis pendet; sed de processu altero omnia in tenebris sunt, nec facilius comprehensu est, quomodo glandula naturam fluidi mutet, quam quomodo sentiat cogitetque animal.

Observetur rationes omnes de sanguinis circuitu difficultate eâdem impediri, quia nihil certius de motu sciamus, sed quamvis non humanum sit causas inter et effectus vinculos introspicere, tamen has causas et modum operandi et effectus et ordinem interdum notare contigit.

" Homo naturae minister, et interpres,
" tantum facit et intelligit, quantum de na-

" turae ordine re vel mente, observaverit:
" nec amplius scit aut potest." *Bac. lib. Aphorism.* 1.

Ita naturam virium quibus corpus aliud aliud attrahit, philosophi recte judicant esse ultra facultates nostras, sed earum leges studere, et experientia instructi multos effectus praedicere possumus.

Processuum paucorum vitalium par scientia nobis est, attamen plurimi, ut secretio, conceptus, sensus, obtutum nostrum pene omnino effugiunt.

De glandulis hoc autem est observandum, si structura mutata sit, munera etiam mutari, et novam secretionem non solum inutilem, sed etiam vitae perniciosissimam esse.

Tribus modis perniciosi sunt hujus ordinis morbi; ut in tabe, parationem eorum, quibus usus est, prohibendo; ut in carcinomate, venena secernendo; et partes vicinas, ut in phthisi a tuberculis, premendo.

Cadavera incidendo hos morbos didicimus non acrimonia ortos, sed structura mutata, et acrimoniam tantum sequelam esse.

Ordo postremus in quibusdam principiis legibusve corporis vivi oritur.

Ab animalis conceptu ad senectutem extremam usque corpus solidius gradatim fit: in foetu ossa fere cartilaginosa soliditate carent, sed mira quadam proprietate, arteriae iis terram praebent: pariter in tendines musculi, tendines convertuntur in ossa; excercitatio et munus partis has mutationes admodum regunt. Inde mobilitas infantis; agilitas adolescentis; robur juvenis; senisque rigiditas; et eodem processu quo nobis firmitati, etiam caducitati et morti natura est.

Quamvis hoc processu inscientibus nobis senectus obrepat, tamen si ullum vitae necessarium viscus maxime eodem afficiatur, morbus fit certissime exitiosus; hujus ordinis, ossificatio, aneurisma, et arteriae dilatatio exempla sunt.

Horum secundus a Vesalii scalpello exploratus fuit, et ita inter primos morbos est, quorum naturam sectio cadaverum docuerit. Ut simplices, e quibus nascuntur fere omnes morbi organici non congeniti, hae variae conditiones vasorum habeantur.

Fatendum est tamen ordinationem omnem solum memoriae causa excogitari, natura autem leges humanas spernit.

In morbis capitis quibusdam considerandis utilitas *Anatomiae Morbidae* optime videtur, igitur pauca de his disseram.

QUAEDAM DE MORBIS CAPITIS.

Caput, ab antiquissimis temporibus, organorum maxima dignitate sedes habitum fuit.

Ibi visus, auditus, olfactus, et gustus, et oriuntur et terminantur. Ictum gravem in caput et sensum et motum, animum, animamque subito pessundare, et febribus mul-

tis mentem perturbari, homines semper observavisse oportet.

Ideoque rerum naturae curiosi, quod contineret caput, detegere, videre et cognoscere voluerunt; secundum ea cadaveribus sectis inveniebant eodem tempore chordas quasdam a variis organis oriri, et cerebro terminari; admirabantur structuram cerebri, et curam, qua natura idem a vi externa muniisset; omnibus summum perpensis, cerebrum esse mentis sedem opinabantur.

Sed quamvis hoc organon tanti fecissent, scientia morborum ejus, obscura, rudis, et manca manebat.

Hippocrates vero et pauci veterum de his morbis feliciter cogitavere, sed tales opiniones solum praesagia fuerunt animorum superiorum, quae omnino minores, ut mos est, negligebant.

Ita hydrocephalus internus acutus, aut hydrencephalus, ut a Monro Tertio, brevitatis causa appellatur, febris remittens aut con-

tinua credebatur, cui convulsiones cum caligine et sopore finem versus accedebant.

Obnoxium est cerebrum et membranae variis ordinibus morborum secundae classis.

Inflammatio activa substantiae aut membranarum phrenitis dicta est. Inflammatio passiva apoplexia quaedam fit, et atonia sphincterum addita, hydrocephalus; interdum tumores simillimi glandulis strumosis; quaedam rara, ut hydatides et corpuscula lutei coloris intra cerebrum, aut inter duram matrem et cranium inveniuntur. Cranii etiam ossa, musculi et pericranium, quaeque suis morbis obnoxia sunt; et, injuria illata, ut Bailie et alii observaverunt, ab osse occipitis processus eburneus enatus fuit. Hujus generis, cujusdam liberalis Glascuensis casum mihi amicus narravit; ille aeger de capitis doloribus diu conquestus, furore superveniente decessit. Capite aperto processus acutus cerebrum pressit.

Illum puerum gravem ictum accepisse in os occipitis ab equi calce medici didice-

runt; tali casu, si sedes doloris facile dignoscatur, estne serra utenda?

Hujus organi omnibus morbis ea symptomata adsunt, quae, ut in hydrocephalo observavimus, praecipue sese ostendunt in partibus longe remotis; et medicus, qui non haec solet observare, et sectione cadaverum, de causis proximis aut potius de sede quaerere, nihil proderit aegro.

In capitis morbis internis vero omnem scientiam recte cultro attribuamus, et illa scientia adhuc deficit, quia cultro sive rarius seu negligentius utamur.

Quis ignorat cerebrum et appendices partibus omnibus corporis nervos dimittere, et omnes nervos sensuum singulorum hoc organo terminari? Sciunt omnes etiam, secto aut compresso nervo, munus ejus aboleri, an sensus an motus an ullius visceris vitae necessarii, sit. His perpensis, varia symptomata remota minime mira apparent, sed quae symptomata singula, tam partium remotarum quam capitis ipsius, singulos morbos comi-

tentur, et quae methodus sit dignoscendi inter haec, et symptomata morborum cujusque partis consentientis quaerere; hic labor, hoc opus.

Quamvis Wepferus, Petit et alii, capita eorum qui his morbis erepti fuerunt, desecuerint, tamen indiciis morborum singulorum ab primo ingressu ad finem usque non bene narratis sive omnino neglectis, observationes eorum haud multum profuerunt.

Et causae et symptomata phrenitidis idiopathicae antiquissimos docuerunt medicos de hoc morbo bene judicare, etenim cum ingens dolor capitis, rubor faciei et delirium ferox adsint, quis de morbi sede dubitaret?

Rubor oculorum non semper adest, ut auctores celeberrimi affirmant; vidi casus duos aut tres absque hoc indicio; duo casus phrenitidis, alter paucos ante annos, alter nuperrime inciderunt; aegros velut mania affectos medicorum sapientes in custodiam abduci jusserant; alterum postridie quo clausus erat, alterum die quo claudendus, carceri

mors amicior eripuit. Fortasse absentia oculorum ruboris medicos illos fefellisset.

Medici antiqui etiam vix potuerunt phaenomena hydrocephali chronici non notavisse, nam superstitio anatomiam perosa non obstaret, quominus empiricus audax in ventriculum per bregma scalpellum infodiret, et ita aqua manifesta fuit; sed causis supra expositis, mutationes internas ignorabant.

Quamvis de functionibus cerebri aliquid generaliter, tamen nihil de usu partium ejus singularum adhuc comperimus, igitur vix effectus morborum partium illarum conjectura persequi licet; verum minus prodest talis scientia ad aegrum curandum quam ad munera partis cujusque cognoscenda; quoniam remedia eadem sint morbis, an pars cerebri, an totum afficiatur.

Vero illi male succedet, qui putat symptomata a nostro Whytt celeberrimo tam bene descripta in quadam specie hydrocephali, omni adesse casui; et cadavera explorando

hoc didicimus, quod si convulsionibus infans laboret, aut etiam spasmis, nec eruptione, nec gingivarum scarificatione, nec anthelminticis, nec purgatione levandis; si diarrhoea non ex tabe aut vermibus, nec scarificatione, nec catharticis, nec astringentibus supprimenda; si alvo non solutu facili; si nunc vomitu nunc bulimia, si difficultate spiritus frequenter redeunte, et brevi manente; si tussis pertussi simillima sed sicca adoriatur; si denique ullum viscus male habeat, non remediis sibi propriis reficiendum; et eodem tempore stupor, vertigo, aut dolor capitis adsint; caput timendum: si febris inconstans et contractio pupillarum comitentur, mature facto opus est; si pupillarum dilatatio sequatur, desperandum; sed in permultis hujus morbi exemplis, neque contractione nec dilatatione, nec caligine praecedente, mors subit.

Quidam chirurgus hac urbe casum dixit mihi adolescentis, scribae, circiter octodecim annos nati, proceri et exilis cum pallida fa-

facie, cui capitis dolores crebri fuerant; tam bene ante meridiem valuerat, ut foro adfuisset, sed paulo post domum capite dolente rediit, et protinus animam efflavit; cerebri omnes ventriculi aquâ pleni fuerunt.

Eâdem causâ occubuerunt plurimi provecta aetate, quibus, ut ait Celsus, caput infirmum erat; et verum eos diu signis nervosis dictis laborasse notabile est. Casum a Hoffman narratum memini cujusdam ani, quam apoplexia adorta apparet, sed impetu decedente, medicus ne rediret, sanguinem abstulit; et mors cito supervenit; corpus non exploratum fuit.

Observavi vasorum aliam conditionem aliam aut plures saepe trahere, cujus rei bonum exemplum subsequitur.

Georgius Hay, circiter triginta annos natus, et amans, ut fit, et potator, de doloribus capitis, tinnitu aurium, alvo adstricta, et doloribus hypochondrii dextri et sinistri conquestus, languidus fuit facie pallida, appeti-

tu ciborum imminuto: sex circiter annos abhinc cum in itinere, sub media procellosa nocte, nudum caput maximo frigori per quatuor horas subjectum fuit. Inde dolores capitis et omnia mala.

Eum jussi caput radere et aqua frigida lavare, saepenumero intestina ciere, et a potionibus magnis solitis sensim abstinere.

In animo fuit, si haec nihil prodessent, epispastica tonica et sanguinis detractionem adhibere, sed paucos post dies praescriptis neglectis nihil amplius praecepi. Hebdomadas post duas gravissime per mediam noctem correptus fuit. Me amicus comitatus ad miserum videndum, invenimus illum sensu et motu privatum, pulsus arteriarum, praecipue iliacarum et carotidum, crebri, duri, et tam validi ut non solum tactu sed visu percipiendi essent, cutis arida et calida, alvus adstricta, spiritus difficilis; sanguine multo mox misso, iterumque nocte, et intestinis liberrime solutis, levatus fuit.

Emplastrum vesicatorium capiti impositum, et paucis diebus per cubiculum ambulare potuit, altero latere captus.

Catharticis et tonicis ad salutem rediturus apparuit, sed convalescens furtim medicamenta omittere incepit, denique frigido vespere foras exiit, et in taberna vicina, paralysi totius corporis affectus fuit; epispastica, cathartica, diuretica, nihil profecerunt, et paucos post dies decessit.

Capite aperto, vasa et durae matris et piae valde distensa; inter cranium et duram matrem, tunicam quoque inter arachnoideam et piam matrem lympham coagulatam adhaesionesque validas; necnon ventriculos aqua plenos observavimus.

In nosocomio nostro, hominis qui diu diabete laboraverat, cadavere aperto et visceribus omnibus summa cura perscrutatis, nihil aliud fuit observatum, praeter quod caput ostendit; hic profecto sedes malorum inventa; vasa ubique turgida, lympha tunicam arachnoideam super effusa, quae tunica mi-

rum in modum inflammatione densa fuit, nec ventriculis defuit aqua.

J. Whyte foemina duos et viginti annos nata, cui a partu caput fuit magnum, infans morbis fere omnium viscerum fuerat affecta; interdum dysuria, diarrhoea interdum, vomitus, dyspnoea et alia mala adfuerant. Haec a dentitione aut oriri aut exasperari videbantur; singula remedia singulis morbis apta inutilia fuerunt; per novem menses diarrhoea manserat, et etiam in lienteriam mutata, etiamsi larga manu, et astringentia et absorbentia adhibita fuissent; his malis rachitis accessit deformans, tamen sub tertium annum ad quandam salutem rediit. Nunc variola benigna illam adorta est, sed eruptionis die duodecimo febris inconstans supervenit; has sequuntur paucos intra dies paralysis, anasthaesiaque crurum; artus paucos post annos gradatim vires et sensus recuperaverunt, et melius illa se habuit quam fieri ob deformationem expectari potuit.

Nihil praeterea dignum memoria est ante annum aetatis decimum octavum, nisi quod catamenia abfuissent, nunc in vico vicino subitanea vertigine et stupore ingente correpta fuit; et impetus, multo hysteriae similior quam apoplexiae, semel aut bis quotidie redibat, symptomata hysteriae solita per intervalla aderant, nunc primum menses parum fluebant, post quinas hebdomadas redituri.

Omnia mala aucta hebdomade praecedente, et hebdomade succedente expuit materiem nigram et amaram; vomitus biliosus praecipue mane occurrit; alvus plerumque bene respondet, tamen interdum torpida, interdum diarrhoeâ biliosâ affecta est; urina per totam vitam turbida, nunc alba et spissa facta erat. Corpore erecto, imus venter graviter, sed non acute dolebat; solum sese antrorsum inclinare sterno pulvinaribus incumbente poterat.

Paroxysmis vertiginis et dyspnoea presentibus, tantum fenestra aperta spirabat; gra-

datim appetitus cibi, antea parvus, augebatur ; sed vix aut ne vix quidem pauxillum in stomachum receptum cum, quasi cibi ascendentis sensus, diaphragmatis spasmi et dolor epigastrii accessissent, et paulo post cibi pars maxima cum aqua plurimâ acerrimâ, plerumque pellucidâ, interdum spumosâ, est rejecta ; vomitu cesso fames redibat, eodem processu compescenda.

Catamenia intervallis gradatim minutis nunc multum aucta sunt ; per decem vitae menses postremos, alternis hebdomadibus fluebant, et fluxo rubro absente leucorrhoea aderat ; omnia alia mala et vi et frequentia aggravescebant ; facies pallida, pulsus arteriarum obscuri erant.

His omnibus perpensis, morbus in quodam vitio organico pendere visus ; a pulsu debili, specie leucophlegmatica, aegritudine longa et vasis uteri laxis minime missionem sanguinis convenire creditum est.

Cum res ita se haberent, lenire narcoticis et antispasmodicis frustra conati sumus ; per

duas hebdomadas abfuerunt catamenia, et omnia facta pejora; deinde redierunt, et exiguam levationem sed brevi tantum attulerunt; nam octo circiter dies vix postea, caligo et sensus aquae quasi in capite fluctuantis mente non perturbata accesserant, et mors insecuta est.

Cultro didicimus sedem et causam morbi in capite esse: omnia viscera et abdominis et thoracis sana fuere, pericardio excepto, quod distensum aqua subpallida fuit. Cranium inaequale crassitudine, et densitate insolita, omnia vasa cerebri cerebellique et membranarum cingentium, sanguine purpureo plena, et miram in magnitudinem aucta. Dura mater arcte cranio per filamenta adhaesit; omnes membranae conglutinatae, integre separari non potuerunt; qualibet parte aut cerebri aut cerebelli secta, maculae rubrae plurimae sunt visae; pinguedine totum corpus oneratum fuit. Amico Jacobo Sanders, M. D. favente, puerum quadraginta dies natum vidi, qui signis solitis hydroncephali

acuti affectus decessit; arctissime dura mater cranio adnexa; nulla aqua ventriculis inerat, sed tota cerebri substantia gelatinosa mollissima, subflava.

Longi morbi, aqua in ventriculis effusa, antequam cranii ossa suturis arcte conjuncta sint, vires saepe nec animae, nec animi afficiuntur, quamvis substantia cerebri ipsius pene omnino desit; observavimus etiam et formam et structuram cerebri mutari, non interruptis muneribus aliorum viscerum neque mente laesa; etsi interdum laesionem aut deformitatem in cerebris aut craniis eorum qui mania aut fatuitate affecti fuerint, non invenire possimus. Camper, Blumenbach, Gall et alii qui proponunt superbi, gradum mentis hominum caeterorumque animalium in quadam forma cranii, spinae aut massae cerebralis, pendere inter illos habendi sunt, qui nihil non explicare possint: nunc subit in mentem quod dixit Butler de Sydrophelio suo celeberrimo. Vide Hudibras, lin. ccv. et seq.

In capite equi tumores duos plexu choroideo natos colore et splendore aureo inveni, in utroque ventriculo laterali unum; alter fuit magnitudine columbae, alter fabae; quamvis piâ matre obtecti majoris ima pars, scabra; et ubi cerebro superincubuit, pars cerebri quoque scabra fuit.

QUAEDAM DE MORBIS VISCERUM ALIORUM.

In morbis viscerum aliarum cavitatum, vix minus cultro attribuendum est; si vero non longum esset, in morbis singularum partium a capite ad calcem usque utilitatem hujus artis facile ostenderim; sat autem erit pauca exempla proferre.

Cor posse maxime, si gradatim, augeri sine multo incommodo invenimus, sin inflammmatio activa adoriatur, aeger miserandus est. Fere omnes morbi cordis propter signa propria, anginae nomine distinguuntur. Vitam maxime perturbant impediendo has mutationes, quae in sanguinem aëri expositum subeunt; interdum congeniti sunt, ut in foramine ovali aperto, aut in foramine illo insolito inter dextram et sinistram partem cordis; interdum a substantia mutata alicujus partis, ut ossificatione arteriarum coronariarum; interdum a paralysi pendent.

Morbi omnes viscerum thoracis, concordiam magnam haec inter viscera et partes generationis urinaeque, existere ostendunt.

Casus ab Allano Burns et aliis editi sunt, quorum symptomata solum vesicae urinariae uterove referebantur, tamen cadavera secta cordi omnem morbum vitio vesterunt, nec aliter quam cultro de hac abdita et inexplicabili causa quidquam pro comperto habere potuissemus.

Recte observatur omnes res quae vim sanguinis augent, morborum cordis et arteriarum causas esse; ita plerumque hi morbi sunt illis qui inebrietate aut affectionibus violentis dediti sunt;—nec potest quae res cunque concordiam, mentem inter et corpus, clarius ostendere, quam sectiones cadaverum eorum, qui inter prima tempora periculosissima Reipublicae Gallicae agitato animo aut mortui aut interfecti fuissent; per quas sectiones, dico, aneurismata et aortae dilatationes, plurimis eorum adesse didicimus.

Casum infaustum nuperrime vidi, uxoris amici, quam sub quintam mensem uterogestationis gravissima pneumonia apparuit adorta. Plethorica et antea valebat, sed saepe soporosa, et ter quaterve inter duos vitae menses postremos, animus deliquit, et quinto ante obitum die de doloribus imi ventris non magnis conquesta.

Primo et secundo die larga manu sanguis fuit missus, sed quamvis spiritus facilior factus sit, symptomata alia vix laevata fuerunt. Tertio die foetum mortuum edidit, et summâ scientiâ frustra adhibitâ, quinto die decessit.

Corpore secto pulmones haud multum affecti, et pleurae omnino integrae fuere; sed ligamenta lata uteri, et pars fundi ejus et ovaria, sphacelo nigro et mollissimo et foetido affecta sunt visa.

Observandum est nunquam fuisse expositam causis aut disponentibus aut excitantibus pneumoniae; et nec a forma thoracis

nec pulmonum structurâ fuerat his morbis proclivis.

Mihi apparet morbum esse fortasse prorsus utero adscribendum, et symptomata pneumoniae tantum a partium consensu pendere.

Veruntamen quid talem opinionem confirmaret, nondum habemus, sed haud minori est miraculo, quod cor male habitum, sive uterum, sive vesicam urinariam, dolore, molestiâve quadâm maxime afficeret.

Quisquis *Anatomiam Morbidam* pro nihilo putat, casum sequentem attento animo legat.

Quidam infelix chirurgo submittit sese ob intumescentiam et dolorem testis. Chirurgus fortasse inter herniam scrotalem et hydrocelen, et scirrhum facile dignoscere possit; et ingenti peritia sua omnino elatus sit. Scirrhum adesse invenit, et remedia deobstruentia (ut appellantur) nihil proficientia, exscindere testem vult. Multo dolore exscinditur, et si morbus omnino testi infuerit, salus celeriter redit; sed si morbus a tumore

chordam spermaticam premente ortus sit, chirurgus sero invenerit et scientiam et artem minime profuturam esse. Aeger nunc de doloribus vagis femoris et dorsi, antea testi relatis, magis queritur. Febris hectica manet aut etiam augetur, macies gradatim procedit, alvus pertinaciter adstringitur aut dysenteriae species adest.

Tandem ille chirurgus peritissimus, referens omnia mala cuidam irritationi nervi spermatici, et omni spe salutis afferendae perdita, aegrum deserit; sed si tali symptomatum ratione minime contentus, nunc faciat, quod imprimis facere oportuerit; summa scilicet cura totum abdomen perscrutetur, fortasse tumorem pulsatilem infra umbilicum percipiat, et huic tumori omnia mala rite attribuat. Quidam, scio, tumores hos quoque nervis laesis referre volunt—opinio sane magistris chirurgiae istis digna! Praeterea cum ab aegro intelligat, hanc pulsationem longo adfuisse tempore ante testis intumescentiam,

haec opinio sapientissima erit sibi nihil solatii, et se ignorantiae poenitebit.

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum est.
Quae venit *indigno* poena dolenda venit.

OVID. HEROID.

CONCLUSIO.

Anatomia Morbida licet ad causas primas non aditum praebuerit, tamen certissime ducit nos ad primos effectus malorum, et optime modum curandi indicat; inde quam necessarium sit ad singulos morbos dignoscendos, et signa, sive perpetua, sive incidentia, sive sympathetica; et eorundem ordinem studio maximo notare apparet; et inde, quamvis nequaquam connectionem inter haec omnia discernere possimus, scientia derivata aeque chirurgo ac medico prodest; immo inde habemus medicae artis fundamina vera, quicquid praeterea, vox sola est.

Denique, quis qui hanc non bene studuerit artem, aut medicinam aut chirurgiam aut obstetricium excercere potest?

Si quis hujus artis imperitus tales morbos tractaret, si quis causas illas quas haec ars sola patefacere potuerit, ignoraret; histrionum pessimus est.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.